

Sammelband og

Index locorum in hoc volumine
explicatum.

- nr. 29 Pj. LXXXIV.
4. Math. II. 17. 18.
38 Luc. I. 78.
10 Act. XIII. 32. 33.
20 Eph. V. 29.
18 Col. I. 34.
11 Col. II. 14. 15.
23 Cor. XIII. 2.
36 1 Petr. III. 18.
38 2 Petr. I. 19.
6 Jud. 9.
38 Apoc. XXII. 16.

32
31

PRAELECTOR
ECCLESIAE
ACADEMIE
DE
SPIRITU SANCTO
NON CONCVRRENTE
AD
OPVS CONVERSIONIS
SED ILLVD VNICE OPERANTE
PROGRAMMA
FESTO PENTECOSTES
A. R. S. CICICCLIV
P. P.

HELMSTADII
LITERIS SCHNORRIANIS

PRORECTOR

ET SENATVS
ACADEMIAE IULIAE CAROLINAE
CIVIBVS ACADEMICIS.

S. P. D.

A quo primum Ecclesia intestinis bellis et contionibus scandalo plenis turbari coepit, non defuerunt homines, qui, licet gravissimos errores simplicium animis instillarent, formam tamen sanorum verborum callide retinebant, et sic, magno animarum damno, recte sentire et docere multis videbantur. Hoc artificio primum imperitis persuadebant, non de veritate eorum, quae scripta extarent, disputari, sed de verborum sensu et recta interpretatione. Tum vero et id efficiebant, ut

veritatis defensores, quorum erat, loca Scripturae ab adversariis in falsos sensus detorta genuinis interpretationibus vindicare, aut temeritatis aut erroris suspectos rediderent. Huic malo ut mederetur Ecclesia, canones, Symbola, et fidei confessiones condidit, quibus, et quid ipsa sentiat, et quomodo Scripturam dissentientium figmentis obscuratam intelligat, declarabatur. Sed ne sic quidem securitas praestita erat fidei et veritati. Nam et canonum et Symbolorum verbis non nihil ambiguitatis inesse mox credebat, cum novas opiniones tradere quibusdam placeret, quas salva Symbolorum auctoritate doceri haud posse, alii contendebant. Factum etiam est, ut, cum alii has normas sapienter sequuti maiorum suorum doctrinam uberiorius declararent, illorum adversarii, quibus antiquum erat, argumentis ab invidia ductis dissentientes aggredi, aberrationem a Scriptis Ecclesiae Symbolicis obiicerent, suasque privatas interpretationes pro ipsis Confessorum decisionibus substituerent.

Huc certe referri debet prolixa illa disputatio *de gratia Spiritus Sancti*, qua conversionem et regenerationem in hominibus operatur. Scriptura satis perspicue tradit, hominem non suis viribus sed ab ipso DEo, mediante verbi lectio vel auscultatione et meditatione, converti. Et hanc doctrinae simplicitatem merito servari oportuisset. Nam qui eam vera fide tener, in eo omnne suum collocabit studium, ut verbum DEi diligenter, attente, et animo discendi cupido legat, audiat, et meditetur. Quo facto fieri haud potest, quin salutares gratiae divinæ effectus in corde suo experiatur. Sed quoties doctrina ista obscurata et depravata est aut Philosophorum disputationibus, aut Fanaticorum figmentis! Quod cum viderent pii Confessores nostri, et quid hac

de re Scriptura doceat, et quid credi oporteat, verbis
 clarioribus et ad genium seculi compositis definiverunt.
AVG. CONF. Art. V. p. II. **FORM. CONF.** in Sol. Decl.
 Art. II. p. 671. 676. Ed. Rech. His enim aliisque locis
 testantur, *Spiritum Sanctorum esse conversionis nostrae cau-*
sam efficientem, verbum DEi autem causam instrumen-
talem, seu virtutem istam, per quam Sp. S. fidem in no-
bis accedit, ideoque Sp. S. per verbum et non aliter in
nobis operari. Post aliquot annos ingentes motus exci-
 tavit HERM. RATHMAN, verbi divini Minister apud
 Gedanenses, qui cum in ea esset opinione, verbum DEi
 tantum significare, quid credendum sit, et Sp. S. singu-
 lari virtute verbo addita efficere, ut credamus, id salva
 Symbolorum doctrina doceri haud posse iudicarunt Thé-
 ologi perspicaciores, atque hanc confessionum nostra-
 rum partem scriptis solidissimis uberius declararunt. Sed,
 nescio, quo fato accidat, ut subtilis ille Fanaticismus,
 aut, si mavis, Rathmannianismus hodie rursus non pau-
 cis mirifice placeat. Sunt enim, qui dicunt, verbo di-
 vino non nisi moralem quandam vim significandi et per-
 suadendi inesse, ad eam vero accedere singularem Spi-
 ritus Sancti cooperationem, eam cum vi Scripturae mor-
 ali, coniunctam opus conversionis efficere, duplarem
 hinc virtutem agere in corda hominum, alteram verbi,
 alteram Spiritus Sancti, et hanc spiritus cooperationem
 esse eius concursum seu testimonium internum. Non
 opus est magno ingenio, ut quis intelligat, hac opinio-
 ne divinam et supernaturalem vim verbo insitam penitus
 tolli, cuncta in negotio conversionis redire ad immediata-
 tam Spiritus S. operationem, et Scripturam esse tantum
 conditionem sine qua non, seu causam occasionalem con-
 versionis. Quae si ex sola mentis simplicitate a quopiam
 cre-

crederentur, (non enim omnibus profunditates istas perspicere datum est,) toleranda foret fratrum imbecillitas, et argumentis ad captum compositis emendanda. At vero id agunt, qui se solos sapere putant, qui universalis Theologorum consensum ubique crepant, et qui sententias nimis duras contra fratres fecerunt sentientes pro auctoritate enunciant. Ab instituto et moribus nostris alienum est, contentiones istas, quibus utinam Ecclesia carerere semper potuisset, aut alere aut augere. Vos tamen, Cives Optimi! ne in tenebris ambuletis, sed veram doctrinam, in Academia nostra haec tenus pure conservatam, recte teneatis, a nobis monendi estis, *Spiritum S.* non cooperari aut concurrere tantum ad opus conversionis, sed illud unice efficere, idque mediante verbo, quod est ipsa DEi potentia in salutem omni credenti. Scitote igitur,

i. Deum ipsum et appropriate Spiritum S. esse causam efficientem conversionis nostrae. Ut enim omnis mutatio a causa quadam agente dependere debet, fides autem et conversionis ipsius animae viriumque illius naturalium effectus esse haud potest, ita solus Deus salutare hoc opus in homine efficit. Hanc ob causam secundum magnam suam misericordiam regenerare i. Pet. I, 3. nos spiritualiter mortuos resuscitare, Eph. II, 5. 6. et in nobis tam velle quam perficere operari dicitur. Phil. II, 13. Ipse Christus appellatur ἀλεξανδρίας τοῦ τελειωτῆς τοῦ πίστεως ἡρῷον. Ebr. XII, 2. Et regeniti dicuntur opus DEi creatum in Christo aut per Christum ad bona opera. Eph. II, 10. In primis autem fidem opus Spiritus S. esse, Scriptura saepe testatur. Io. III, 5. XVI, 8. i. Cor. XII, 3. His potissimum locis nititur perspicua et solida illa declaratio articuli tertii in Symb. apost. quam D. LUTHERVS his verbis tradidit: *Credo, me propriis rationis meae viribus Iesu Christo Do-*

mino

mino meo fidere, aut ad eum accedere et pervenire nullo modo posse: Sed Spiritus S. per Evangelium me vocavit, suis donis illuminavit, in recta fide sanctificavit et conservavit.

2. Operatim autem tantum actus et motus spirituales, qui in negotio conversionis probe distinguendi sunt ab actibus et motibus naturalibus. Dum enim cor hominis ita mutatur, ut meritum Christi fiducialiter apprehendat, in eo totum acquiescat, peccatum abominetur, et verae pietati studeat, huic mutationi non possunt non variii motus et actus coexistere, qui a recto usu virium naturalium intellectus et voluntatis dependent. Huc pertinet e. g. attentio ad obiecta, quae proponuntur, rationatio, comparatio rerum, recordatio praeteritorum, generale desiderium eius, quod sub ratione boni representatur, et id genus alia. Atque haec probe distinguiri oportet a Spiritualibus, h. e. iis, quae, ut B. M A R T. CHEMNITIUS in Exam. Conc. Trid. Part. I. Loc. VII. Art. II. p. 166. definivit, *ad conversionem hominis, fidem, et pietatem pertinent, sicut illa in verbo DEi, h. e. in lege et evangelio, proponuntur:* Et quae, ut nos quidem iudicamus, potissimum salutari illa rerum spirituum cognitione, ex qua fides generatur, fide ipsa, h. e. fiduciali meriti Christi et promissionum evangelicarum apprehensione, nec non ipsa pietate et sanctitate cordis continentur.

3. Haec sunt, quae Spir. S. in conversione hominis operantur, et quidem mediante verbo suo divinitus inspirato. Ut enim taceam, eum in finem humano generi traditam esse revelationem, ut ex ea fidem concipient, et per hanc fidem salventur, Io. XX, 31. ipse DEi Spiritus testatur, verbum hoc esse incorruptibile illud semen, ex quo homines regenerantur, I. Pet. I, 23. et ex auditu verbi fidem oriri. Rom. X,

14.17. Quare etiam ipse Christus et Apostoli, cum homines convertere vellent, praeter verbi huius praedicationem alio medio non utebantur.

4. Sequitur ex eo, hoc ipsum verbum esse divinam et supernaturalem illam virtutem, qua homines regenerantur et sanctificantur. Non enim naturali sed supernaturali et vere divina virtute homines ad Christum converti, et ex eo patet, quod Spiritus S. sit auctor et causa efficiens conversionis, qui non nisi divina vi et efficacia operari potest, et ex clarissimis scripturae testimoniosis, quae docent, nos credere *natura ratiōnē eūgēneū tā nōtētē tās iōxjōs Θεοs*, quin per eam ipsam potentiam, qua Deus Christum resuscitavit ex mortuis. Eph. I, 19.20. Iam vero Spiritus Sanctus nos per verbum suum convertit. Ergo hoc verbum quoque divinam illam virtutem et efficaciam esse oportet. Atque sic intelligi volumus scripturam quando de verbo DEi in easu recto praedicatur, quod sit *δύναμις Θεοs*. Rom. I, 16. I. Cor. I, 18. Etsi enim quoad rem eodem reddit, sive cum B. BAIERO in Anal. Dict. Script. p. 8. dicamus, efficax organon potentiae divinae his verbis significari, sive cum B. GLASSIO in Phil. S. Lib. III. Tr. I. p. 557. rem potentem et insigniter efficacem, nulla tamen apparet ratio, cur proprietatem literae deseramus. Quin potius cum verbum DEi divina potentia dicatur; aut quia ipsa est virtus DEi, aut quia illi vis et efficacia divina inhaeret, vis autem non nisi substantiis inesse possit, ad quod rerum genus non pertinet verbum DEi, praestat illud ipsam DEi potentiam dixisse. Quare etiam Christus, quando verba sua appellat *Spiritum et vitam*, Io. VI, 63. ex parte notat causam efficientem, seu subiectum, cui haec potentia inest, ex parte effectum: q. d. Verba, quae ego loquor, sunt ipsa virtus

lus Spiritus Sancti, qua vitam spiritualem in hominibus
operatur.

5. *Vt autem ista recte intelligantur, sciendum est, in verbo DEI MATERIALE et FORMALE probe distinguenda esse.* Nam et externa signa comprehendit, quibus Deus veritates coelestes et ad salutem scitu necessarias nobis revelavit, et ipsas veritates salutares, quibus animo apprehensio illuminamur, regeneramur, et sanctificamur. Prius Theologi materiale, posterius formale appellare solent. Nonnulli hunc loquendi modum invertunt, et signa scripturae formale, veritates autem materiale vocant, ut THEOLOGI HELMSTADIENSES in suo Iud. de Controv. Rathm. apud DEDEKENVM in App. Conf. Theol. p. 276. Sed prior dicendi formula magis recepta est.

6. *Materiali Scripturae vis tantum naturalis, b. e. vis significandi, quae et obiectiva dicitur, ineſt.* Hac in re verba Scripturae non differunt a verbis ab alio auctore adhibitis. Nam pleraque desumpta sunt e vita communi, retentis eorum significatibus propriis. Aut si quandoque in proprio significatu accipiuntur, quod non raro fieri solet, aut verba occurrent Scripturae propria, quae cum terminis scientiarum technicis comparari possent, illorum significatus ex aliis vocibus vulgaribus per artifia hermeneutica determinari debent. Conf. B. IO. MVSAEVS in Disp. IV. de Conv. Cap. II. §. 44. 45. p. 272. Ab hac autem vis naturali, materiali Scripturae inherente, non nisi *simplex rerum revelatarum apprehensio* dependet, quae ad DEUM tanquam primum auctorem tantum referri potest, quatenus ab initio verbum suum inspiravit, literis consignari curavit, adhucdum conservat, et, ut ab hominibus audiatur vel legatur, singulari sua providentia efficit.

scilicet

b

7. Vis

7. Vis ergo divina et supernaturalis ista proprie est formale verbi. Quod eo minus dubium videri potest, cum verbum DEi hoc modo consideratum sit ipse DEi conceptus, ipsa DEi mens et consilium, ad salutares illos effectus in anima nostra destinatum. Postquam verbum illud, mediatis externis signis, audientium aut legentium animis illatum est, et homo obicem non ponit, Spiritus S. per illud intellectum adeo efficaciter illuminat, et voluntatem moveret, ut homo convertatur, absque tilla alia virtute forinsecus accedente. Atque hoc sibi volunt Theologi, quando docent, Spir. S. per verbum nos regenerare et sanctificare. Ex has etiam declaratione intelligi potest, quid sit antiquioribus Theologis, vim divinam et supernaturalem verbo Dei non inhaerens formaliter et subiective, sed per sui unionem cum eo intimam et individuam. Scilicet quando de verbo DEi seu Scriptura loquebantur, plerumque respiciebant eius materiale, quatenus ex verbis aut ore prolatis aut literis in charta exaratis constaret. Huic supernaturalem vim inesse recte negabant. Quia vero a nonnullis credebatur, Scripturam nihil amplius esse, quam eiusmodi externum signum, et vim illuminatricem et convertricem illi a DEo extrinsecus addi optere, quoties ab hominibus auditur vel legitur, ideo inquietabant, cum scriptura seu externis illis signis consilium DEi de nostra salute significantibus et semper et intime et inseparabiliter unitam esse DEi potentiam. Per hanc autem nihil aliud intelligebant quam formale Scripturae, quod ab eius materiali nunquam separari potest, sive in usu, sive extra usum spectetur verbum DEi. Hanc ob causam roties inculcabat, Rathmannum non distinxisse materiale et formale verbi, eum prius tantum et quidem separatum considerasse, ideoque errorem, quo Ecclesiam turbasset,

basset, evitari haud potuisse. In primis id diligenter monuerunt THEOLOGI GEDANENSES in Articulis Rathmannianismo oppositis, apud CHRIST. HARTKNOCH in der Preussischen Kirchenhistorie Lib. III. Cap. VIII. §. 10. p. 813. seqq. se non loqui de materiali verbi, b. e. syllabis, literis, et vocibus, sed de formali, b. e. de sensu et mente ipsius DEi verbis expressa; hoc verbum esse vivum, divinum et sanctificatum conversionis organon; eius lumen esse ipsius Spiritus S. Iustus, quo salutares effectus in cordibus hominum producantur; unum eundemque effectum a verbo et a Spiritu S. dependere, et utriusque unam eademque esse actionem in hominibus; verbum DEi von esse partiale sed totale organon, quo quivis actus et motus spirituales efficerentur, veluti apertio cordis, illuminatio, assensus, motus et tractus voluntatis, etc. Quibus verbis cum haud obscure testentur, se non aliam virtutem Spiritus S. illuminantem, regenerantem, et sanctificantem agnoscoere, quam DEi verbum, et quidem eius formale, perpetua ista et inseparabilis unio virtutis divinae cum verbo DEi illis nihil aliud esse potest, quam unio formalis verbi divini h. e. sensus, mentis, et consilii divini cum materiali, seu externis signis. Conf. etiam B. 10. MUSAEV in Introd. in Theol. Part. II. Cap. VIII. §. 6. p. 566. seq.

8. Quemadmodum autem vari motus tam intellectus quam voluntatis conversione ingrediuntur, et veritates nobis revelatae non omnes sunt eiusdem generis, ita credendum est, alias ad hunc alias ad illum effectum, e. g. conversionem intellectus de divinitate Scripturae, contritionem cordis, fiduciam in Christo collocandam, dilectionem DEi et proximi, patientiam et abnegationem sui ipsius etc. destinatas esse. Quod nisi res ipsa loqueretur, auctoritate haud difficulter comprobari posset. Pertinent huc inter alia

verba Auctorum Formulae Concordiae, quae Art. II. p. 671. Ed. Rech. leguntur: *Per hoc medium seu instrumentum, praedicationem nimirum et auditionem verbi Deus operatur, emollit corda nostra, trahitque hominem, ut ex concionibus legis et peccata sua et iram Dei agnoscat, et veros terrores atque contritionem in corde suo sentiat; et per annunciationem ac meditationem Evangelii de gratuita et clementissima peccatorum remissione in Christo scintillula fidei in corde ipsius accenditur, quae remissionem peccatorum propter Christum amplectitur, et sese promissione Evangelii consolatur: Et hoc modo Spiritus Sanctus, qui haec omnia operatur, in cor mittitur.* Quemadmodum his verbis declarant pii confessores, non perinde esse, quale verbum praedicetur vel ad contritionem, vel ad fidem, vel ad consolationem excitandam, ita simul confirmant generale illud assertum, alias esse veritates, in quibus ratio assentiendi Scripturae, alias, in quibus ratio aversandi peccata, aut confugiendi ad Christum, aut erigendi conscientiam afflictam, et sic porro, continetur. Cumque omnis ea veritas, in qua datur ratio sufficiens assensus, principium aut argumentum, ea autem, qua continetur ratio aliquid volendi vel nolendi, motivum dici soleat, perspicaciores facile iudicabunt, quid sentiendum sit de thesi, Scripturam intellectum convincere per argumenta, et voluntatem flectere per motiva. Hoc certe negari haud potest, Apostolum omnibus Ecclesiae doctribus δεδορουσαν verbi commendasse.

2. Tim. II, 15. Quodsi autem quaelibet veritas omnibus promiscue praedicari posset, sive convincendus sit intellectus, sive flectenda voluntas, sique ratio habenda non foret aut dispositionis personae, aut effectus producendi, quid opus esset prudentia, verbum veritatis recte dividendi?

Sed

Sed mittimus ista satis copiose haec tenus disputata,
 Vobisque in memoriam tantum revocabimus antiquam
 Ecclesiae nostrae doctrinam, quam olim Theologi Saxo-
 niae Superioris ad normam Libb. Symb. satis prolixæ et
 folide declararunt, et quam reliquæ Ecclesiae recte sen-
 tientes universali consensu amplexae sunt. In causa nam-
 que Rathmanniana cum multa in utramque partem di-
 sputarentur, hoc autem scandalum removere vellet piaæ
 memoriae Princeps, IOANNES GEORGIVS, Elector
 Saxoniae, præstantissimos illius aetatis Theologos con-
 vocavit, ut invocato Spiritus illuminantis auxilio, cuius
 tunc causa agebatur, re diligenter deliberata, communi-
 catisque consiliis, quid de hoc argumento statuendum
 sit, deciderent. Composuerunt ergo Scriptum, quod
 A. C. 1629. sub Tit. prodiit: *Der reinen, wahren, evange-
 lischen Kirchen und ungeaenderter Augspurgscher Confes-
 sion zugethaner Theologen widerholte, richtige, gründli-
 che und unwiderlegliche Lehre von der heiligen Schrift
 und dem heiligen geoffenbarten Wort Gottes*, etc. Qui li-
 ber sicuti veram Ecclesiae doctrinam recte definivit et u-
 berius corroboravit, ita et auctoritatem propemodum
 normativam haud immerito naetus est. Sunt autem haec
 potiora confessionis huius momenta: Primum verbum
 DEi in hac controversia considerari ut *ens concretum si-
 ve complexum*, h. e. secundum externa signa et internum
 sensum seu mentem DEi simul; Cap. I. p. 13. seq. Huius
 verbi *formale*, h. e. sensum per verba revelatum, *unum
 idemque verbum esse*, sive spectetur in ipso Spir. S. a quo
 originaliter proficiuntur, sive in animo Apostoli, cui in-
 spiratum erat, sive in eius sermone, sive in epistola scri-
 pta, sive in nostris auribus, corde, et memoria; Cap. II,
 p. 45. Ratiene materiae seu extenorum signorum huic

verbo inesse vim significandi credenda et agenda, ratione
formae autem vim illuminandi, regenerandi, et salvandi,
atque hanc vim esse *verbi attributam*, et ad eius perfe-
ctionem pertinere, Cap. III. p. 59. 60. ita tamen, ut alii
effectus *lege*, alii *evangelio* producantur; Ibid. p. 75.
Hanc vim verbo divino tribui, quatenus Spiritui Sancto
placuit, per verba Scripturae omnem veritatem, consi-
lium, et mysterium revelare, nostrisque cordibus infer-
re; Cap. VI. p. 97. Nec obstat, quod Paulus dicat, *ne-*
que fatorem, neque irrigatorem quicquam esse, sed, qui
auget, DEum; I. Cor. III. 7. 8. nihil enim esse fatorem et
irrigatorem, si in in se spectetur, sed multum valere in-
tuitu officii, et praeterea fatorem et irrigatorem distingui
oportere ab ipso *serere* et *irrigare*, quod sane efficacissi-
mum est; p. 100. seq. *Esse* autem verbum DEi adeo effi-
cax, non respectu verborum, sed sensus et veritatum,
quae per verba significantur, et quando *instrumentum*
dicitur, *per quod Spir.* S. homines convertat, id intelligi
de materia verbi, h. e. de signis externis, quae instrumen-
tum dici possint, quatenus per ea *formale verbi* h. e. ipsa
mens Spir. S. cum hominibus communicatur; Cap. VIII.
p. 140. 141. 143. 144. nec ullam esse mutationem spiritua-
lem in homine, quam Spir. S. suo verbo non efficiat, Cap.
X. p. 178. seqq. Falsum propterea esse, quod Spir. S. singu-
lari operatione cor aperiat, ut semen verbi in illud pene-
trare possit; p. 195. Ex adverso lumen Spiritus et lumen
verbi in conuersione esse unum idemque numero lumen,
neque Spiritum iuxta verbum ita operari, ut quaelibet
causa suum effectum ab alterius effectu distinctum pro-
ducat; p. 206. Idque eo minus in dubium vocari posse,
cum Scriptura in se sit *medium idoneum* homines illumi-
nandi et convertendi, atque id efficiendi vim per essen-
tiam

tiam et proprietatem suam habeat; Quare ne quidem singulari et distincta Spir. S. operatione opus esse, ut quis divinitatem Scripturae agnoscatur; ut enim lumen ex se ipso suisque characteribus cognoscitur, quod sit lumen, ita et Scripturam ea maiestate iisque proprietatibus gaudere, ex quibus manifestum est, quod non sit verbum huma-
num, sed ipsius DEI p. 208. 209.

Quae cum sciatis, Cives Optimi! penes vos ipsos esto iudicium, num recte sentiant, qui *Spiritu Sancto concursum seu cooperationem cum verbo in opere conversionis tribuant*. Ne ambiguitate sermonis decipiamini, memineritis, omnem CONCURSUM ET COOPERATIONEM supponere plures causas agentes. Quod si ad praesens negotium applicetur, sub hypothesi, *Spiritum Sanctum cum verbo suo concurrere*, dicendum erit, conversionem esse opus compositum, in quo aliquid Spir. S. sua vi, et ali-
quid Scriptura sua virtute efficiat, et utriusque effectus totum conversionis opus constitueret. Id autem rursus multiplici modo intelligi potest. Aut enim PRIMO duae istae causae agentes ita considerantur, ut ex una parte spe. Eetur materia verbi, seu signa illa externa, credenda et agenda ex instituto significantia, et ex altera parte *forma* verbi, seu ipsi conceptus divini, mens et consilium DEI, quo intellectus convincitur, et voluntas fleicitur, ita tam-
en, ut posterioris effectus tribuatur Spiritui S. tanquam causae efficienti. Hoc sensu minime negamus, Spiritum S. cum verbo suo concurrere, sed potius veremur, ne adver-
sarii, quos sibi finixerunt dissentientes, mera sint umbra. Difficeri tamen haud possumus, hoc sensu incommodam et a Theologis improbatam esse locutionem istam. Nam qui *formale verbi*, quod proprie est potentia illuminandi et convertendi, vim Spiritus S. vocat, qua *concurrit cum*

verbo,

verbo, is manifesto supponit, Scripturam tantum quoad materiale suum spectari, et quicquid praeterea in hominis conversione efficitur, non esse effectum verbi divini, sed alterius causae agentis. At vero in tota hac disputacione verbum Dei accipitur, ut Theologi loqui amant, tanquam *ens complexum*, constans ex signis naturalibus et sensu divino, quae duo a se invicem separari nesciant. Et quamquam sensus ille divinus, per verba revelatus, est ipsa DEi potentia, quam Spir. S. cum materiali Scripturae coniunxit, et qua effectus supernaturales in nobis producit, tamen, cum ad ipsam verbi divini essentiam pertineat, rediutus et cautius dicimus, *Spir. S. unum et solum conversionem in nobis efficere per verbum*, quam *eum cum verbo concurrere, aut illi duntaxat cooperari.*

SECUNDO concursus iste duarum, quae supponuntur, causarum agentium ita explicari posset, ut Scripturae tantum tribuatur vis significandi obiecta fidei, Spiritui sancto autem vis efficiendi, ut illuminemur, credamus, et sanctificemur, quae vis a vi Scripturae inherente re ipsa differat, licet semper et inseparabiliter cum ea sit coniuncta. In hanc sententiam si qui hodie ingredientur, a Scripturae materiali manifesto separant eius *formale*, et pro hoc aliam DEi virtutem Scripturae semper assistentem substituunt. Sed ut taceamus, hac opinione verbo divino, maximopere derogari, illudque in merum aliquod signum externum transmutari, cui vis divina inesse haud potest, ut, inquam, haec omnia taceamus, probe iam monuerunt THEOLOGI SAXONES supra laudati pag. 14. verbum DEi ne concipi quidem et definiri posse absque sensu et mente DEi, quam in Scholis formale verbi appellare solemus. Quin alibi p. 143. testantur, hoc esse *κείμενον Φεύδος Rathmannianismi*, quod *formae verbi divini nulla*

nulla habeatur ratio, sed illud tantum ut merum aliquod signum, aut literis exaratum, aut ore prolatum, consideretur.

¹⁹²⁰ TERTIO et sic concipi posset illa Spiritus et verbi cooperatio, ut verbum quidem et ratione externorum signorum in aures et oculos, ratione sensus et mentis DEi in intellectum et voluntatem hominis agat, id autem ad conversionem non sufficiat, sed ad utramque verbi virtutem, significandi scilicet et movendi tam intellectum ad assensum quam voluntatem ad appetendum, accedere debeat alia quaedam vis Spiritus Sancti, cum illa verbi virtute semper coniuncta. Qui ita sentiunt, tres agendi vires in negotio conversionis supponunt. Prima est externorum signorum, qua revelantur credenda et agenda; secunda sensus divini, cum externis signis conexi, qua, ut nos quidem docemus, intellectus convincitur, et voluntas flebitur ad obiecta spiritualia; et tercua ex hypothesi foret singularis quaedam vis Spiritus Sancti, ad verbum accedens, et iuxta verbum in homine operans immediate. Hanc postremam vim agendi in conversionis opere nos non agnoscimus, nisi Deus aliquid praeter ordinem efficere velit. Nam primam quod attinet, illam quidem verbi aut signorum naturalem esse fatemur. Et per hanc Spiritus Sanctus non operatur, nisi quatenus ipse primus auctor Scripturae est, eamque olim inspiravit. Secunda nobis est vis ipsa divina et supernaturalis, qua Spiritus Sanctus per modum causae efficientis homines illuminat et convertit. Et hanc verbi divini virtutem respici credimus, quando potentia DEi, semen regenerationis, aut medium fidei excitandae appellatur. Eandemque a Theologis intelligi certum est, quando docent, verbo DEi inesse potentiam divinam,

XVIII

aut Spiritum Sanctum per illud operari, aut etiam cum illo coniunctam esse virtutem supernaturalem. Tunc enim verbum DEi in complexu sumtum considerant, quatenus ex signis et rebus signatis constat, et praeter vim naturalem aliam sublimiorem, divinam nempe et supernaturalem, habet. Qui ergo huic virtuti aliam vim Spiritus Sancti addunt, aut sibi persuadent, virtutem istam non sufficere ad fidem accendendam licet divina sit, aut divinam esse penitus negant. Sed quicquid horum amplecti illis placeat, error erit manifestissimus.

Teneatis ergo, o Nostr! rectam doctrinam de Spiritu Sancto per verbum unice illuminante, regenerante, et sanctificante! Teneatis eam pio et excitato animo, ut, si donorum Spir. S. quorum memoria his diebus celebrabitur, participes fieri velitis, praeter sanctissimum eius verbum non aliud quaeratis medium. Hoc audite, ut Lydia, hoc scrutamini, ut Thessalonicenses. Sic enim fiet, ut cor vestrum aperiatur, ut omnipotentem eius efficaciam sentiatis, ut fides in vobis accendatur, et ut Spiritus DEi in cordibus vestris habitet. Nam per verbum, ut ait AVGUSTANA CONFESSIO, tanquam per instrumentum donatur Spiritus Sanctus, qui fidem efficit, ubi et quando visum est DEo, in iis, qui audiunt Evangelium. P.P. in Academia Iulia Carolina

D. i. Jun. MDCCCLIV.



153883
X 2286633 ✓

ULB Halle
007 138 997

3



ND 18

R

B.I.G.



32
31

DE
SPIRITV SANCTO
NON CONCVRRENTE
AD
OPVS CONVERSIONIS
SED ILLVD VNICE OPERANTE
PROGRAMMA
FESTO PENTECOSTES
A. R. S. CICCIOLIV
P. P.

HELMSTADII
LITERIS SCHNORRIANIS